



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Consti=||tvtionen In Di-||oecesana Synodo  
Vvla-||dislaviensi**

**Karnkowski, Stanisław**

**Colonię, 1572**

**VD16 W 4100**

Constitutiones Synodi Dioecesanae VVladislauensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62991)

CONSTITVTIONES  
 SYNODI DIOECESANAE  
 VVladislauensis.

**Q**Voniam constitutiones huius  
 Synodi ad omnes pertinēt, etiā  
 eos, qui vel ætate grauari, vel mor-  
 bis oppressi, vel alijs occupationibus  
 distracti, non potuerunt ei præsentis  
 interesse, ne quem fortè aliquid eo-  
 rum lateat, de quibus hîc delibera-  
 tio fuit suscepta, singula eodem, quo  
 gesta sunt ordine, conscribenda, &  
 ad omnium notitiam deducenda  
 esse putavi, ne quis ignorantiam  
 præterequeat.

STANISLAVS CRAS-  
 sinus I. V. Doctor schola-  
 sticus Gnesnensis, & eius Re-  
 uerendissimæ P. Cancellarius.

B 3 Die

DIE XVI. Martij, qui habendæ Sy-  
nodo fuit constituta, cùm præstò  
essent omnes, qui de iure, vel de recepto  
more, eiusmodi conuentibus interesse  
consueuerunt, nimirum Reuerendi et  
religiosi patres, Laurentius Zalinski Ab-  
bas Coronouensis per se, Oliuensis ve-  
rò & Peplinensis absentium Mandatarij.  
Itidem præpositi ordinum Suchouiensis  
& Lubranecensis per se. Strelensis autem  
& Zarnouecensis Mandatarij. Ecclesia-  
rum quoque Cathedralis quidem Cano-  
nici, Collegiatarum verò nuncij, cum  
Parochis Diœcesis ferè omnibus. Can-  
tata fuit Missa de spiritu sancto.

Oratio quoque recitata eo,  
quo sequitur,  
modo.

ORA-

ANDREAE  
 PLISCI LIBERA-  
 LIVM ARTIVM BACCALAV-  
 rei, de forma Satuque Ecclesiae  
 atque deformitate eiusdem,  
 & officio sacerdotali.



Agnum mihi mu-  
 nus ab immortali  
 Deo, AMPLIS-  
 SIME PRAE-  
 SVL, vosque R.  
 P P. impositum esse  
 video, vt hodierno  
 die vos omnes, quicunque huc congregati estis, ad agendam causam Ecclesiae, intueri & alloqui possim. Nec tamen minus oneris iniunctum mihi esse sentio, cum ego nulla eloquentia praeditus, & vix vllis literarum studijs imbutus, atque in hoc genere dicendi minus exercitatus, in hoc frequentissimo celeberrimoque doctissimorum hominum confessu, verba sim facturus. Quam ob rem, magna mihi dubitatio suboritur: & vtrū

hoc munere gaudere, an potius contri-  
stari debeam, nescius huc atque illuc mē-  
tis incertus agor, vereorque, cū maxi-  
mis de rebus orationem habiturus sim;  
ne quid cultissimis auribus vestris indi-  
gnum mihi excidat, quod omnem vo-  
luptatem meam, quam venerabilis ac iu-  
cundissimus conspectus vester mihi ad-  
fert, omninò perturbare possit. Sed tan-  
tus est amor meus in **AMPLISSI-  
MVM PRAESVLEM** nostrum,  
tanta obseruantia & fides, vt nihil tam  
arduum, nihil tam difficile excogitari  
possit, modò ad eius dignitatem Eccle-  
siæque vtilitatem pertineat, quin ego il-  
lud omni studio atque diligentia protin-  
nùs aggredi & exequi contendam: acce-  
dit adhæc summa vestra, Reuerendissi-  
mi Patres, humanitas ac sapientia, quos e-  
go attentissimè audientes in me ora con-  
uertisse video, quibus inducor, vt sperē  
me à vobis facile veniam impetraturum,  
si ea, quæ ab **AMPLISSIMO  
PRAESVLE** nostro mihi commen-  
data sunt, licèt minùs eleganter & orna-  
tè, quàm hic locus & rei dignitas postu-  
lat, explicabuntur. Aggrediar itaq; iam  
causam

causam mihi commissam, bona cum venia vestra, & sicut olim à numine aliquo de re aliqua magna dicturi, exordiri solebant, ita nunc ego non aliundè ordinar, quàm vt eum inuocem, qui vos sibi elegit: quem ego supplex oro, vt adesse dignetur in hoc sacro concilio, quod in nomine eius congregatum est; vestrosq; animos inflammet & accendat, quò ferueatis zelo Domini, atque mihi donare dignetur, vt dignum aliquid vobis dicere possim: quod facilè, vt opinor, assequar, si paucis dicam de munere & officio vestro in Ecclesia Dei. Quod vt planius fiat, ponenda est vobis ob oculos facies & forma primitiuæ Ecclesiæ, ac deformitas eiusdè: qualè nunc cernitis, vos modò vt cœpistis, benignè me auscultate, quaeso. Sæpè ego, **AMPLISSIME PRAESVL**, vosque **R. Patres**, ingemiscere soleo, oculosque offundere lachrymis, dum animaduerto statum illum primitiuæ Ecclesiæ turbatum esse, & valdè concidisse: soletq; mihi idè accidere, quod acciderat senioribus illis Israëlitarum, qui redeuntes è captiuitate Babylonica, dum intuerentur structu-

A 5 ram

ram templi, quod reædificatum erat sub Esdra & Neæmia, illique structuræ compararent, quod à Salomone ædificatum, dirutum iam ab hostibus erat, flebant voce magna. Sic & ego statum primitiuæ Ecclesiæ conferens cum statu præsentis, continere lachrymas nequeo, & abstinere à lamentis, super hac desolata ciuitate magna, quæ illi populosæ ex aduerso collata, nulla prorsus esse apparet. Fuit enim, fuit illa Ecclesia, quæ primis temporibus floruit, ædificata velut ciuitas sancta, ad exemplar illius cœlestis Hierusalem, sub cuius figura mādatum erat Moy si, vt faciat tabernaculum ad instar illius, quod eidem in monte monstratum erat. Quam figuram completam esse testatur Ioannes, dum dicit se vidisse sanctam ciuitatē Hierusalem, descendentē de cœlo à deo paratā, sicut spōsam ornatā viro suo. Primū itaque, vt à fundamento ipso exordiar, ornatissimum illud tabernaculum, vel potius inclytissimum, templū erat in montibus sanctis, quorum vertices ad cœlum vsque pertingebant, ædificatum. Ac primus quidem mons erat Apostolorum, qui primi auguli  
fun-

fundamentum posuerunt, contemptum terrenorum. Sub quorum persona princeps Apostolorum inquit, Ecce nos Domine reliquimus omnia, & sequuti sumus te, omni onere deposito, quod impediuit iter nostrum. Nouimus enim, quod te expeditum, nemo oneratus, sequi potest. Sic & Paulus Apostolus de seipso testatur: Omnia, inquit, reputaui pro stercoreibus, modò vt lucrifaciam C H R I S T V M. Porrò secundum montem intelligo martyres ipsos, qui tolerantia tormentorum, & patientia aduersorum, fundamentum secundi anguli eiecerunt. Hi sunt enim, qui plantauerunt Ecclesiam in sanguine suo, stolasque suas lauerunt in sanguine agni, quos non immeritò Ecclesia, laudes eorum celebrando, victorum genus optimum appellat; cùm tam ardenti amore essent accensi erga Deum, vt tormenta illa atq; ignes non senserint: quia multò flagrantior ignis ardebat in pectorib. eorù, qui hùc igne còburentè corpora illorù, prorsus extinguebat. Tertius denique mons est, doctores sancti, qui tertium angulũ

funda-



fundauerunt in contemplatione supernorum. hi enim oculis suis nihil cernebant præter IESVM, nihil cogitabant, nihil sapiebant quàm IESVM, sub quorum persona Doctor ille gentiũ inquit: Ego nihil iudicauì me inter vos scire, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Quartus autem mons est virginum, quæ quartum angulum superædificauerunt super repressione carnalium desideriorum. Hæ sunt enim, quæ carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs, membraque sua exhibuerunt seruire castitati, sicut decuit fideles seruas Christi. Iam verò sic fundato templo Domini, stabant insuper in medio templi in ornatu suo, clangentes tubis, ac prædicantes euangelium filij Dei, & exornantes templum illud varijs generibus virtutum, vt gemmarum rutilantium. Neque eo contenti, muro adhæc fortissimo illud munierunt, scriptura nempe diuina: quæ omnia tela aduersariorum confringit ac destruit. Mendaciũ enim diaboli, quomodo potest euertere sacrosanctam scripturam, in qua veritas illa continetur, quæ ex ipso Deo patre ante  
lucife-

luciferum genita est, quæ portas inferorum vastauit, luciferumque præsidem inferni ligauit, vsque in diem extremum. In nomine cuius etiam infernorum genu curuatur, non ex amore quidem, sed ex necessitate. Oportet enim victum imperium victoris ferre. Ad extremum autem, ne alimenta quoque decissent in hac sancta & munitissima ciuitate Dei, quibus sustentarentur milites Christi, ne deficerent in certamine aduersus mūdum, carnem, & diabolum, sacramenta, quæ verus cibus animæ sunt, summa cum pietate sanctitateque administrabant: quam sanctimoniam atque innocentiam vitæ illorum populus denique ipse, summa cum admiratione considerans, iisdem vestigijs insistebat; tamque piè ac sanctè vixit, quemadmodū hodie paucissimi in monasterijs viuere solent. cuius rei locuples testis est Cassianus discipulus diui Chrysostomi. Merito itaque decorem hunc ciuitatis huius nobilissimæ, multò antè in spiritu præuidens Dauid exclamat: Gloriosa de te sunt dicta ciuitas Dei. Hæc est enim illa Syon, cuius fundamenta in mōtibus sanctis: hæc est

est

est, cuius diligit Dominus portas, super omnia tabernacula Iacob: hæc est illa Hierusalem, de qua Dominus per Esaiam Prophetam dicit: Sternam Hierusalem per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris, ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos. Verè enim portæ illæ erant in lapides sculptos, cum illi sancti doctores introducentes in regnum cœlesti errantes in via, verbis simul & factis doctrinam suam illustrabant. Illi ergo, qui intrabant per hæc portas, hoc est, per prædicationem eorum, exemplar vitæ illorum habebant oculis suis expositum, veluti sculpturam quandam, quam & ipsi factis exprimere conarentur. Hæc itaque est quàm pulcherrima iucundissimaque facies primitivæ Ecclesiæ, cuius tantò magis admirabilis decor appareret, si peritior pictor accessisset. verùm à me, vt ab ignobili pictore, si minus eleganter est depicta, quid mirum? cum & excellentissimi pictoris ingenium hîc industriaque deficeret. Vnumquenque igitur eo contentum esse decet, quod illi diuinitus datum est  
atque

atque concessum. Verùm nos cùm iam faciem primitiuae Ecclesiae spectauimus; consideremus nunc quoque, & cum dolore intueamur, defœdatam ac vltra modum deturpatam faciem eius, quae olim iucundissima pulcherrimaque apparebat. Intueamur nunc templum hoc inclytum, quod iam ferè in præceps ruere videtur, ac desolationem quandam expectare. Jam iam montes illi, in quibus fundata erat Syon, sublatis sunt, ædificata autem est in sanguinibus. Magistratus enim vtriusque potestatis, oblitus comminationis Propheetae, qui clamat: Væ illi qui ædificauit Syon in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate, non veretur propinquis suis vel saltem benemeritis de se tradere curam Ecclesiae, cùm tamen aliqui horum potiùs sint apti alendis equis, aut canibus, quàm pascendo gregi Dominico. Eo itaque factum est, vt fundamenta illa prædicta, euersa conuulsaque sint. Nam in locum Apostolorum successerunt auari homines, qui pascunt semetipsos, & non gregem domini, qui lac comedunt, lanis operiuntur, & nullã

nullam gregis curam habent. quorum a-  
 uaritiam dominus per os Malachiae Pro-  
 phetae arguit, dicens: Quis est in vobis,  
 qui claudat hostium meum, vel accendat  
 altare meum gratuito? Non est mihi  
 voluntas in vobis, dicit Dominus exer-  
 cituum, & munus non suscipiam de ma-  
 nu vestra. Porro locum martyrum oc-  
 cupauerunt ociosi & gulosi, qui non li-  
 bant Domino vinum, sed ventri suo; quos  
 non gladius, sed coena occidit. In his au-  
 tem, qui doctorum Cathedras tenent, non  
 studium sacrarum literarum, non contem-  
 platio coelestium viget, sed potius cura  
 terrenorum: nam per omnia huic mundo  
 conformantur, nihil aliud, quam peri-  
 turas diuitias, & honoris humani fasti-  
 gia sectantes. Obscuratum est igitur, vt  
 Hieremias praedixit, aurum, mutatus est  
 color optimus, dispersi sunt lapides san-  
 ctuarij in capite omnium platearum. Fi-  
 lij Syon inclyti amicti auro puro, repu-  
 tati sunt in vasa testea opus manuum fi-  
 guli, qui vescebantur voluptuose ( dele-  
 ctati antea in verbo Dei ) interierunt in  
 vijs errorum: qui nutriebantur in Cro-  
 ceis, amplexati sunt stercora. Postremo  
 autem

autem saturitas panis & vini, & ocium comes eorum, castitatem illam virginalem sustulerunt: ita vt omninò sit iam impletum illud, quod Dominus per Hieremiam prophetam dixit: Propheta, inquit, & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum. Non solùm autem fundamenta templi euersa videmus, sed ipsum etiam omni ornatu suo priuatum. Nullus amplius timor Dei, nulla pietas sanctimoniaque vitæ in plebe apparet. omnes in viam suam declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Sed & murus templi ab hostibus inuasus est. dissipauerunt enim legem Domini, iuxta testimonium Psalmistæ, Pseudoprophetæ, qui errauerunt ab utero matris suæ Ecclesiæ, & furore correpti sunt serpentino, & aspidis surdæ obturantis aures suas à voce incantatoris incantantis sapienter. atque ijdem ipsi alimenta de templo DEI subtrahere nituntur. Sacramenta impiè blasphemantes, ac velut instituta vana hominum, & non spiritus sancti, nefariè subsannâtes. Itaque nunc iacens mœsta Ecclesia, utiq;

c

ad

ad Dominum leuat oculos suos, & ad Synagogam impiorum inquit. Ne læteris super me inimica mea, quia cecidi; con-  
surgam, quum sedero in tenebris: Dominus lux mea est, irā domini portabo, quoniam peccaui donec causam meam iudicet. Educet me in lucem, videbo iustitiam eius, & aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit. Vbi est Dominus Deus tuus? oculi mei videbunt eam. nunc erit in conculcationem vt lutum platearum. Hanc igitur habes **AMPLISSIME PRAESVL**, vosque **R. P. P.** formam & quasi faciem depictā Ecclesiæ præsentis, turpiter descœdatam deformatamque. Quapropter nunc iam videte, quid vobis agendum sit, si vultis vt pristinus decor restituatur illi. Oportet itaq; **R. P. P.** vt non ocio luxuique vacetis, dum in tantis angustijs positam animaduertitis Ecclesiam Christi. Standū equidē vobis est in medio tēplī cū tubis, quibus clangere debetis, & hostem diabolum à castris viuentis Dei propulsare. Prædicandum est Dei verbum, instandū opportunè, importunè; arguenda vitia hominum, refellendi errores nostri.

Non

Non solum autem dextris tubas tenere debetis; verum etiam oportet, ut vestimentis vestris candidis induamini. Non enim verbi cibo solum pascendus est grex, sed etiam exemplo, quod magis incitare solet homines ad bene honesteque viuendum. Indui itaque vos oportet, fide, charitate, sobrietate, castitate, iustitia, prudentia, scientia, coelestiumque desiderio & amore. Primum autem fides requiritur in vobis, nam fidelem & prudentem quaerit Dominus seruum, quem praeficiat familiae suae, ut det illi cibum in tempore. Porro qui fidelis fuerit, hunc constituet ille super omnia bona sua. Charitatem quoque feruentem amplecti debetis, & imitari sanctissimum illum virum Moysen, qui tanta charitate populi flagrabat, ut orauerit DOMINUM, quo potius ipsum deleat de libro vitae, quam populum Israeliticum in deserto perdat. Sic & vnusquisque vestrum, cui commissa est cura animarum, pro earum salute, nec supplicia recusare, nec mortem metuere debet. Bonus enim pastor, inquit

c 2 Christus,



Christus, animam suam dat pro ouibus suis. Sobrij denique vt sitis, audite hac de re monentem vos Christum. Attendite, inquit, ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius seculi. Quod idem & in veteri lege sacerdotibus mandatum fuit, vt testatur Leuitici caput X. vbi iubentur Aaron & filij eius ne bibant vinũ, & omne quod inebriare potest, quãdo ingressuri essent tabernaculum testimonij, ne fortè moriantur. Sed quid de castitate dicam, sine qua ne nominari quidem verus sacerdos potest: idcirco & Christus Apostolis hanc in primis seruare præcepit, cum inquit: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucernæ in manibus nõnne iustitiæ opera sunt? quorum vtique fundamentum castitatem esse voluit Christus, cum mādāt, vt lumbi prius, in quibus vis generandi est, balteo castitatis præcingantur. Nihil autem hîc causæ est, quod quis ad legem veterum confugiat, in qua licitũ erat sacerdotibus contrahere matrimonium. In lege enim veteri, quia solatribus Leui, & Domus Aaron sacerdotalis erat,

erat, cæteris verò prohibitum fuit hoc fungi officio. idcirco ne Leuitarum genus, in paucis conclusum, citò deficeret, per connubia necessariò reparandum erat. At nunc non carnis successio quaeritur, sed spiritus; translatoque sacerdotio à Tribu Leui, ad Tribum Iuda, hoc est, ad Christum: quicumque Christianus est, nisi uxori alligatus fuerit, in sacerdotem eligi potest. Quod si autem & illis priscis dictum est: Mundamini, qui fertis vasa Domini, quantò magis id vobis nouæ legis sacerdotibus conuenit; quibus quotidie non solùm ferre vasa Domini moris est, sed etiam ipsum Dominum manibus gestare, oreque sumere. Iustitiam adhæc, quam alios docetis, oportet vt ipsi primùm opere impleatis, ne alijs prædicando bona, ipsi reprobi efficiamini. Sed non minori curæ vobis esse debet, vt omnem scientiam scripturarum necessariam vobis, pro virili ediscatis: sine qua nec vosmetipsos rectè ab aduersario tueri potestis, nec alios vitæ doctrinis commodè instituere. Quinimò, si hanc contempseritis, indigni sacerdotio existimabimini, dicete Domino per

Oseam Prophetam. Quia tu scientiam repulisti, repellam & ego te, ne fungaris sacerdotio mihi. postremò autem & contemptores præsentium esse debetis. Nam si vultis Christum imitari, oportet vt paupertate gaudeatis. Sed ne in veteri quidem lege Leuitis data erat possessio in Tribubus, vt scirent in cœlo, non in terra sibi esse possessionem quærendam, dicente Domino ad Aaron. In terra nihil eorum possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel. In nouo autem testamento Apostolis & eorum successoribus præceptum est, vt non possideant aurum neque argentum in zonis suis. Quid enim sacerdoti cum diuitijs, si illius Domini seruus est, qui non habuit in terra, vbi caput reclinaret suum? Domini, inquam, in stabulo geniti, in præsepio positi, in cruce nudi. Nihil denique in hoc seculo quasi suum possidentis: non quia non licuerit ei frui omnibus, si voluisset, cùm esset omnium Dominus, sed vt ostenderet opus ei non fuisse terrenis diuitijs, qui ad cœlestes thesauros aspiraret. Hæc igitur, hæc  
inquam

inquam, R. P. P. seruare vestri officij est. Sed iam tempus est me contrahere vela: vereor enim ne prolixitate orationis meæ, vestras patientissimas aures offendam. quare consulto alia, in tanta præsertim breuitate temporis, prætermitto. Vos saltem R. P. P. breuiter hîc nomine totius Ecclesiæ obsecro atque obtestor; ne sic vltra in vtranque, vt dicitur, aurem dormiatis in ouili dominico, præsertim tam sæuis lupis grassantibus, qui hæctenus, proh dolor, vobis inspectantibus, liberè gregem Domini diripuerunt, nescio an quoquam vestrûm defendente. Moueat iam tandem vos aliquando pressura atque angustia Ecclesiæ Christi, misereat vos gregis illius dispersi. Nō deest vobis dux, quæ sequamini, non denegat operã suã, non occultat se in tenebris, sed est veluti lucerna (absit modò suspicio adulationis) accensa super candelabrum. Hunc igitur ducem sequuti, arma & scutum apprehendite, defendite Ecclesiam, quam CHRISTVS pretioso sanguine suo acquisiuit ab insultu hostium. Tu autem PONTIFEX vigilantissime,

c      4      qui

qui optimi Ducis officio fungeris, vide, ne quis ignauus miles te sequatur, sit illud infixum animo tuo, Bonū principē vten tem malis ministris, malo principe vtēte bonis ministris, multò deteriore esse. Mone itaq; tuos cooperarios, vt vineam follicitiùs excolāt, & abijciant opera tenebrarū, & filij lucis fiāt, vt lux eorū ita luceat, quo videntes homines bona opera eorū, glorificent Deū patrem, qui in cœlis est. Quod tu dū præstiteris, certò persuasum habeto, cū omnibus hisce cooperarijs tuis, pro labore & certamine à summo Principe pastore Christo recepturū mercedem immarcesibilem, hoc est, gloriā beatitudinis sempiternæ. Nostri aut̄ interim officij erit, orare Deū patrem, vt per dilectū filium suū his malis modū statuat, nos liberet, turbas ex ordine Christiano tollat: tranquillitatem & pacē sanctæ Ecclesiæ Catholicæ reducat: auersos ab ea conuertat; subuersos à falsis prophetis in viam veritatis reducat, vt omnes vnanimis in sanctitate & iustitia seruiamus illi cunctis diebus vitæ nostræ. A M E N.

Perfecto

## PERFECTO SACRIFICIO

cum Reuerendissimus Dominus Episcopus ad altare summum accessisset, sacro vestitu ornatus, statim eo præcinente cantatum est ab omnibus: VENI creator Spiritus. Cumque postea suo quisque loco consedisset, lectum est Episcopale mandatum per Cancellarium eius Reuerendissimæ P. quo ad Synodum vocabantur Diœcesis huius Prælati, & dominici gregis pastores. Simul fuit inquitum, num adessent, qui erant vocati. Producta sunt etiam absentium mandata, & excusationes allatæ. Mandatum verò Reuerendissimi domini sic habet:

**S**TANISLAVS CARNCO-  
Suius Dei gratia Episcopus VVladislauensis & Pomeraniæ, Vniuersis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis tam Collegiatis quàm Ruralibus, Ecclesiarumque Parochialium Rectoribus, Monasterijs & Conuentibus, ac alijs, qui Synodo nostræ Episcopali de iure, vel consuetudine interesse consueuerunt & debent, Salutem in Domi-

no. Postquam ad regimen Ecclesiæ  
VVladislauiensis, licet immeriti, co-  
optati sumus, sedulis cordis nostri  
meditationibus pulsabamur, ne in  
aliquo functioni nostræ deesse vide-  
remur, sed vt primo quoque tem-  
pore Synodum Diœcesanam de mo-  
recogeremus, in qua & vultum peco-  
ris nostri cognoscere, gregique sui pa-  
storis vocem audire posset, & ex præ-  
scripto sacrorum Canonum & Sta-  
tutorum Prouincialium de reformã-  
dis Cleri & vniuersi gregis ipsius  
moribus, ac remouendis in vni-  
uersum omnibus scandalis, propter  
quæ iram Dei in nos tantopere effu-  
sam esse cernimus, aliqua iniri ratio  
valeat. Cupientes igitur in hoc pri-  
mo nostro ad Ecclesiam ipsam VVla-  
dislauiensem aditu, propositum no-  
strum in effectum deducere, nacta  
præsentis temporis occasione, cum  
alioqui propter varias Reipublicæ  
occupationes, quibus distineri coge-  
mur, aliud tempus commodiùs ad  
celebrandam ipsam Synodum, nos  
habituos minimè speraremus. Sy-  
nodum

nodum ipsam Diocesanam communicato Venerabilium fratrum nostrorum, Prælatorum & Canonorum consilio, ad diem Martis aliâs feriam tertiam post Dominicam Reminiscere proximam, hîc VVladislauia indicendam decreuimus, prout in Dei nomine indicimus presentibus. Quem quidem locum & diem eidem Synodo Diocesanae celebrandæ, vobis vniuersis & singulis, ad quos præses noster processus dirigitur, termino peremptorio præfigimus & assignamus, vobisque in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis & Synodali poenis mandamus, quatenus in loco supra dicto, pro die & tempore designatis, vos personaliter ad Synodum ipsam celebrandam sistatis: præcepta & mandata nostra tum alia, quæ ad reformationem morum, & correctionem vitiorum pertinebunt, audituri. Certificantes omnes & singulos, quòd siue in dicta Synodo cõparueritis siue non, nos nihilominus dante Domino in ea celebranda



branda procedemus, contumacia vestra in aliquo non obstante. Datum VVladislauia XIII. die mensis Februarij. Anno salutis humanæ millesimo quingentesimo sexagesimo octauo. Nostro sub sigillo.

**H**Is ita gestis, Reuerendissimus Dominus Episcopus ad Clerum vniuersum suæ Diœcesis grauitè, disertè prolixèque verba fecit. Cuius oratio tam fortis fuit & efficax, vt & corda multorum emolliuerit, & lachrymas non paucis excusserit. Vidisses tum crebros sacerdotum gemitus, crebra suspiria, & novos quosdam motus animorum. Fuit enim iucundissimum illud pijs omnibus spectaculum, pastorem suum coràm cer nere in publico Dei ministrorum cœtu de officio suo & ipsorum prudenter, gra uiter, pieque differentem, & Clerum suum, cum ad colendam pietatem, tum ad ea diligenter seruanda, quæ sunt muneri ipsorum propria, paternè serioque adhortantem: cuius lachrymæ toties ob ortæ, & fletu vox sæpe interclusa, testimonio fuit omnibus, quàm seriò Eccle siæ

fiæ Dei prospectum cupiat. Nihil enim  
 se magis in hac misera fragiliq̃ue vita sua  
 optare declarauit ; quàm vt religionem  
 Christianam in sua Diœcesi conseruare,  
 & Catholicam in ea fidem maiora indi-  
 es augmenta sumere, maioribusq̃ue ac-  
 cessionibus ornari videat. Proposuit  
 autem nonnulla in Synodo tractanda,  
 idq̃ue breuissimè: Quamuis enim afferri  
 multa poterant, ne tamen Clerus in ipso  
 statim initio eorum multitudine obrui  
 videretur: tria potissimùm delegit, velu-  
 ti futurorum omnium auspicia, de qui-  
 bus tum agi voluit, nimirum, de Profes-  
 sione fidei Catholicæ faciendæ: De obe-  
 dientia S. D. Nostro præstanda, & hæ-  
 resibus, quatenùs eæ damnatæ sunt à san-  
 cta Synodo Tridentina, condemnandis:  
 deq̃ue seminario Clericorum apud Ca-  
 thedralem Ecclesiam instituendo. Hoc  
 enim præcipuè spectabat in indicēda Sy-  
 nodo: non tam vt grauaret Clerũ noua  
 præceptorũ multitudine, quæ per semo-  
 lesta est & odiosa, quàm vt vultus & ora  
 pastorũ sui gregis coràm intueri, eosq̃ue  
 publicè affari, & ipsorum officij admo-  
 nere posset: vtq̃ue traderet breuiter non-  
 nulla

nulla, quæ ad munus ipsorum maiore cū fructu sustinendum pertinere videretur. Hæc igitur deliberationū capita, postea quàm Clerus expendisset diligētius, nullo negotio itū est in eam sententiam statim ab omnibus, gerendum Episcopo suo morem: & quæ dicta fuerant, ad rem esse conferenda: cū præsertim non defuerint etiam qui dicerent, reperiri posse huius quoque ordinis nōnullos, qui quamlibet fructibus sacerdotiorū huius diocesis gauderent, nullis tamen essent sacris ordinibus initiati, nec se pro clericis publicè gererēt, nec essent per omnia Catholici. Quod vsq; adeò nō lateret hereticos, vt iactarēt etiā hi nonnunquā publicè, esse inter nos schismata, nec eadē sentire nos omnes & credere. Offendi etiā Catholicos, cū eos, qui nouationib. se dediderūt & Ecclesiæ aduersātur, cōmodis illius nihilominus frui vident. Itaq; postulabat hoc ipsorū officij ratio, vt qui præsertes adfuerunt, & fidē publicè profiterentur, & se catholicos esse, Catholiceq; de capitibus Christianæ religionis sentire declararent; & eam quam debent obedientiam S. D. nostro, præstarent.

Sæmi-

**S**Aeminarij verò institutio tam fuit  
 necessaria, quàm quæ vnquam maxi-  
 mè: cum nulla superesse videretur hoc  
 tempore aliare Ecclesiasticæ iuuandæ  
 retinendæque incorruptæ fidei certior  
 & magis expeditaratio, quàm si præstò  
 semper essent, quorum opera in Eccle-  
 sia regenda Episcopus vti queat. Qui  
 quoniam tantæ populorum multitudi-  
 ni gubernandæ, vnus sufficere non po-  
 test, aliorum præterea & quidem bono-  
 rum doctorumque adminiculis indi-  
 get. vt autem tales habeat, vtq; nō desint  
 quos in partē sollicitudinis vocet, quibus  
 etiam pascendū Christi gregē rectè cō-  
 mendet; Seminario clericorum opus est.  
 Cui fundādo & instituēdo Reuerēdis.  
 Dominus Episcopus, quālibet multis &  
 grauib; sumptib; premeretur, de facul-  
 tatibus tamē mēsæ suæ prospici curauit,  
 & sexcentos florenos annuos ex certis  
 redditibus conferre promisit, assensu  
 Venerabilis collegij sui accedente. vt  
 autem plus esset neruorum & maior pe-  
 cunia confici posset, vltus est ad eam  
 rem Abbatum quoque auxilio, quorum  
 nemo fuit, qui non libenter & alacriter  
 huic

huic operi pio statim pias manus afferret. Videbant enim quicquid esset natum in hoc regno sectarum & hæresum, totum id ab infectis scholis promanasse, ad quas extinguendas, & ad fontem huc amaritudinis primo quoq; tēpore obturandum, necessarium fuisse scholas alias Catholicas institui, vnde cum res postularet, verbi Dei & sacramentorum ministros, Ecclesiarumque pastores, Episcopo petere liceret. Quare Reuerendis & religiosis Dominis Coronouensi, Oliuensi, & Peplinensi, Abbatibus, hæc pensio, de omnium sententia ipsis etiam assentientibus fuit imposita: vt singuli quotānis cētenos florenos numerarent in vsum seminarij. Reliqui verò tres Præpositi in Pomerania, nimirum Carthusiensis, Zarnouecensis, & Suchouiensis, omnes simul, centum florenos annuatim conferrent. Quoniam verò non idem solet esse perpetuò rerū status, ac fit per læpè, vt, quæ benè cœpta sunt, progressu temporis languescāt: nec eum, quem oporteret, quiq; fuit propositus à principio, exitum consequantur. Vt hæc igitur Episcopalis pecuniæ

cuniam attributio certa sit, & ad successores transeat, placuit omnibus, quin & ipsi Reuerendissimo Domino, impetrata primùm approbatione sanctæ sedis Apostolicæ, clausulam hanc de præstandis sexcentis florenis in usum seminarij, Episcoporum iuramento inscribi: vt quicumque postea Reuerendissimo Domino succederent, ad numerandam summam præfatam tenerentur. Tenor autem præactæ clausulæ, in eum modum se habet:

Ad hæc, seminarium ministrorum Ecclesiæ Synodali decreto apud eandem Ecclesiam meam, piè ac necessariò institutum, cum omnibus eius personis, iuribus, bonis, prouentibus, rebusque cæteris, quæ de mensa quoque Episcopali, ac aliâs vndecunque ad illud vel iam deputatæ sunt, vel in posterum deputabuntur, ac quomodolibet pertinent, omni modo & ratione saluum tuebor & promouebo, sic me Deus adiuuet.

d His

50                    CONSTITUTIONES

**H**is itaq; perfectis, & hac omnium  
 egregia volúate cognita & explo  
 rata, statim Reuerendissimus Dominus  
 Episcopus, aetis Deo gratijs, qui hác om  
 nibus mentem concordé inspiráset, pri  
 mus omniú ad altare maius, publicè fidé  
 Catholicam est professus: qué secuti sunt  
 postea Abbates, & eorum Mandatarij, Ec  
 clesiae quoque Cathedralis & Collegia  
 tarum Canonici, cum absentium nuncijs  
 atque Parochis. Cæterùm fidei professio  
 quæ tum facta est, sic habet:

CREDIMVS & confitemur vtri  
 usque testamenti scripturas, esse sacro  
 sanctas & diuinitùs inspiratas. Articulos  
 fidei, qui cõtinentur in symbolis Apосто  
 lorú & Concilij Nicæni, & Cõstantino  
 politani primi: nec nõ omnia, quæ de fi  
 de superioribus Oecumenicis Cõcilijs:  
 & nouissimè in sancta Synodo Tridétina  
 definita sunt, firmisimè amplectimur &  
 tenemus. Sacrorú verò librorum canoné  
 eú agnoscimus & credimus, quem eadé  
 sancta Synodus declarauit & confirma  
 uit. nec ad illorum interpretationem  
 priuata nitimur prudentia, sed eum  
 sensum & expositionem retinemus,  
 quem

SYNODI VVLADISLAV. 51

quem vnanimis consensus patrum, & communis Ecclesiæ Catholicæ vsus docuit & tradidit. Traditiones sine scripto ab Apostolis acceptas, vel à priscis Ecclesiæ patribus scripto comprehensas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, tanquam vel orientis à Christo, vel à spiritu sancto dictatas, suscipimus & veneramur. Insuper de septem Ecclesiæ sacramentis, in primis autem de augustissimo Eucharistiæ Sacramento & Missæ sacrificio, cæterisque dogmatibus aduersus hæreses his temporibus exortas, cum eadem sancta Synpdo Tridentina sentimus & credimus, damnantes & detestantes omnem hæresim, quam eadem sancta Synodus damnauit atque anathematizauit. Postremò Sanctam Romanam Apostolicam omnium Ecclesiarum matrem agnoscimus: & beatissimo Domino nostro P I O Quinto Pontifici Maximo, eiusque successoribus debitam in CHRISTO obedientiam exhibemus, & exhibendam profite-mur.

d 2 Admo-



Admoniti postea fuerunt Parochi, si quid vellent, vel si qua difficultate eorum Ecclesiæ premerentur, vt in medium afferrent, daturus esse operam eos, qui tum præsentés adessent, vt pastores intelligerent, ipsorum rationes sanctæ Synodo curæ esse. Qui responderunt: Habere se quidem non pauca, verùm ea subito explicari non posse. Quare petebant deliberandi potestatem sibi concedi: quod factum est. Iussi sunt enim postero die præstò adesse omnes, & ea scripto mandare, quæcunque ad iuandas ipsorum Ecclesias pertinere putassent. Atque hic fuit huius diei Actus.

**D**IE XVII. Martij cùm Parochi omnes & Clerus reliquus cõuenissêt, suoque loco Reuerendissimus Dominus confedisset, indicatum est illis, vt ad eos sua grauamina scripto referrent, quibus ea cura fuit à sancta synodo commendata. Neque dubitarent, quin essent omnia bona fide ad P. suam relaturi. Dabit autem Reuerendissimus Dominus operam, vt, quoad eius fieri possit, prospiciatur omnium iniurijs.

Est

Est præterea significatum, quandoquidem interest omnium, qui curam gerunt populi Dei, ut rationem tradendæ Catholicæ doctrinæ teneant; ne fortè, quod absit, pro pisce serpentem, & pro ouo scorpionem parvulis panem petentibus porrigant: daturum esse negocium Reuerendissimum Dominum viris aliquot pijs & doctis, ut certam formulam conficiant, quam Parochi omnes in docenda plebe sequantur: ita tamen, ut à præscripto Catechismi Romani nequaquam discedant, sed inde petitam doctrinam verbis planioribus & succinctioribus in Parochorum gratiam explicent. Edentur quoque Constitutiones Synodales, ubi conscriptæ fuerint; in quibus præscribetur & vitæ degendæ ratio, & administrandorum Sacramentorum modus, & alia nonnulla curæ pastorali necessaria.

Matth. 7.  
Luc. 11.

Quoniam verò multis per læpè in hac Dioecesi negotium ab his qui Romæ sunt, exhibetur; & leuibus quandoque de causis ijdem illi ex prouincia euocantur: quo fit, ut eorum Ecclesiæ pastoribus interea destitutæ quo-

rumuis

Sessi. 25. ca  
10. Tridē.  
Concilij.

rūius tā hæreticorū, quàm vicinorū nobilium sint iniurijs opportunæ, designati sunt viri quatuor ex collegio Cathedralis Ecclesiæ, quorū nomina Reuerendiss. dominus cōmendabit S. D. Nostro, & eos ornabit suo testimonio, petens vt eis, cū res postulauerit, tā ex vrbe, quàm à nuncijs in prouinciā missis, causæ Ecclesiasticæ Diœcesis huius non modò cognoscendæ, verū etiam finiendæ committantur.

Petiuit etiā Clerus vniuersus, vt Reuerendiss. D. in his literis, quas primū in urbem dabit, supplicet S. D. Nostro, quò rationē tamen illius habeat, nec eum Tridē tini Concilij vinculis in his teneri velit, quæ ad pluralitatē sacerdotiorū et personalem residentiā pertinent, vel certè necessitatibus ipsorum eo modo qui magis cōmodius videbitur, prouideat. Is est enim Diœcesis huius status, vt singulis in hac bonorum Ecclesiasticorum accisione, & summa Nouatorum quidlibet agēdi licentia, vnum sacerdotium ad vitam honestè & cum dignitate sustinendam, nequaquā suffecerit. Est præterea hoc tēpore (quod res ipsa loquitur) omniū iniurijs

iurijs Clerus expositus. Multorū enim  
 fructus tenētur à malæ fidei possessorib.  
 multi sunt quoq; ab hæreticis interuersi,  
 & ad impietatem ipsorū propagandā cō  
 uersi: multorum iustū precium negatur,  
 & nō nisi post graues labores exhaustos,  
 & multas difficultates superatas, id demū  
 soluitur, quod fūdi domino collibuerit.  
 Quo fit, vt plerisq; sacerdotibus desint  
 alimenta necessaria: tantū abest, vt ali  
 quid supersit, quod auferri debeat.  
 Quod se Reuerendissimus D. & spon  
 tē sua, & Cleri precibus adductus, di  
 ligenter facturum promisit. videt e  
 nim in quantis difficultatibus Diœce  
 sis hæc illius versetur, & quanta sacer  
 dotum penuria etiamnum labore, pe  
 riculum vt sit, nisi legum seueritatem S.  
 D. Nostri clementia temperauerit, ne  
 desint non multò post ( vt nunc est eo  
 rum omnium in deteriore partem in  
 clinatio) qui ad sacerdotium promoue  
 ri velint: Et hoc est, quod cupiunt hære  
 tici. Sic enim gubernatoribus sublatis,  
 atrocius atque violentius circa Ecclesiæ  
 naufragia grassarentur.

Fuit etiam constitutum, vt omnes & singuli, beneficiorum, præsertim verò curatorum possessores, qui iam à multis annis gaudent fructibus sacerdotiorum, in illis autem non resident, nec sacris sunt initiati; Parochiæ verò ipsorum illis negligentibus varijs erroribus sunt contaminatæ, per processum, quem vocant, publicum, etiam per affixionem huiusmodi processus ad valuas Ecclesiæ Cathedralis Vladislauensis, auctoritate Reuerendissimi D. Episcopi monerentur, quatenus infra tempus, arbitrio eius Reuerendissimæ D. statuendum, isti tales, maioribus sacris ordinibus se insigniri procurarent, & ad residendum in suis beneficijs redirent, nisi duriores pœnas canonicas, à iure contra tales statutas, experiri malint.

Insuper constitutum fuit, vt ab omnibus beneficiatis, qui huic Synodo Vladislauensi non interfuerunt, & quicumque deinceps, ad quæcunq; beneficia Ecclesiastica institui deberent, exigeretur & in effectu præstaretur professio fidei orthodoxæ, sub pœnis contra recusantes, arbitrio Episcopi pro tempore

pore existētis, aut sui vicarij Officialisue generalis VVladislauiensis, statuendis.

His absolutis, peractisque Deo gratijs, Clerus Dioecesis huius, solenni benedictione accepta, dimissus: & ad sua quisque redire, proque pastore suo Deum precari iussus est. Et hæc fuit sanctæ huius Dioecesanæ Synodi periodus. Sit IESV CHRISTO seruatori gloria.

Idem qui supra Stanislaus Crassinius I. V. Doctor, & eius Reuerendissimæ P. Cancellarius.

**A**cta sunt hæc in Choro Ecclesie Cathedralis VVladislauiensis, Anno, die, quibus supra. Indictione vndecima. Pontificatus S. D. N. & Domini, Domini PII. diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno tertio: Præsentibus Reuerendis Dominis, Laurentio Zalinski Abbate Coronouersi, ordinis Cisterciensis, nec non Iosepho Conarzeuuski Iuris Pontificij doctore VVladislauiensis, Valentino Curzborski Pomeraniæ Archidiacono, Stiborio Krzikouuski scholastico, Stani-  
 d s flao

58      **CONSTITVTIONES**

flao Sczauuienski, Andrea Naramouuski, Andrea Blinouuski, Casparo Hannonio I. V. doctore, Petro Visczelki, Martino Gosticzki I. V. doctore, Alberto Boruhouuski, Ioanne Piotrouuski, & Syluestro Roguczki medicinæ doctore, prælatis & canonicis VVladislaiensibus, Hippolyto in Lubraniecz Canoniorum Regularium S. Augustini, & Georgio ab Heden Monialium Præmonstratenf. in Zukouu præpositis, multisque alijs prælatiis, tam religiosis quàm secularibus, tunc in sancta Diœcesana Synodo in spiritu sancto legitimè congregatis.

**E**T ego Simon Stanislai de Coualeuo Clericus Gnesnensis Diœcesis, publicus auctoritate Apostolica & in Archio Curia Romanæ descriptus Notarius, quia dictarum Constitutionũ promulgationi, alijsq; omnibus & singulis præmissis, dum sic, vt præmittitur, coram præfato Reuerendissimo in Christo patre ac Domino D. Stanislao Carnouio VVladislaiensi, & Pomeraniæ Episcopo, ac Diœcesana VVladislaiensi Syno-

Synodo, & per ipsum Dominum Episcopum agerentur & fierent, vnà cum prænominatis testibus præsens interfui: eaque omnia & singula sic fieri vidi & audiui. Ideo de mandato quoque ipsius Domini Episcopi, exinde præsens publicum instrumentum confeci, & in hanc publicam formam redegi, ac me huic subscripsi, signoque & nomine meis solitis & consuetis vnà cum impressione sigilli ipsius requisitus, consignauit in fidem & testimonium omnium præmissorum.

(.:.)

CONSTI.